Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2571

Quelle:
Copyright:

generale, ut videre eſt in *Hiſt. Univ. Pariſ. Egaſſii Bulaei* T. IV. ad an. 1394. ubi tamen Literae noſtrae deſunt, quamvis eae, quae ad *Oxonienſes* datae ſunt, p. 751. recitentur.

XXIII. *fol.* 182. p. 2. *Copia litere reſponſionis vniuerſitatis wyenenſ.* Adlatae erant Literae praecedentes ad Academiam noſtram per *Joh. Breuiſcoxe* (Courtecuiſſe) *ſacre theologie doctorem, Joh. de Auſtria licenciatum in eadem, et Joh. mercatorem in artibus magiſtros*, ut e Reſponſo patet, cujus initium: *Reuerendiſſimi Domini — Quid flammeis caritatibus veſtris reſcribere poſſumus niſi gemitum et planctum lugubrem* &c. Adhaerent *Bonifacio*; viam tamen *ceſſionis* probarent, ſi ille adnueret, id, quod agendum ajunt Epiſtolis Principum *Auſtriae* ad *Francorum* Regem. Univerſitatem ſuam *Pariſinae filiam primogenitam* vocant et ſubdunt: *Wyenne die 12. menſis may Anno domini &c. 96. Tempore rectoratus venerabilis viri magiſtri colmanni de noua uilla.* Rem totam narrat *Conſpectus Hiſt. Univ. Vien.* P. I. p. 62. Reſponſum vero ipſum non adfert.

XXIV. *fol.* 184. Oratio, qua luctuoſa Eccleſiae ſchiſmate laborantis facies depingitur, in illud: *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* Incipit: *Quamquam non dubitem per multos maiores prelatos doctores et magiſtros meos in ſuis exhortacionibus et collacionibus deflendum ſponſe chriſti puta eccleſie ſtatum ante me multis vijs et modis varijs luculenter expoſitum* &c. Magnam culpae partem Orator a Clero in Principes et Magiſtratus transfert, nec abs re.

XXV. *fol.* 188. Leſſus carmine hexametro in Schiſma Eccleſiae, hoc initio:

Impia que flentem laniant nunc ſciſmata mundum,
Et rabidi gemitus diſtricto viſcere corda
Noſtra trahunt &c.

Loci communes, e quibus nihil ad hiſtoriam concludas, niſi fortaſſe e peroratione:

Tu quoque romani princeps clariſſime regni
Inclite dux, tantam quem nunc conſcendere ſedem &c.

Schiſma *Eugenii* et *Baſileenſium* et *Albertum Auſtriacum* eruas. Verſus ſat facilis eſt, ſed Exemplar mendoſum.

XXVI. *fol.* 198. *Incipit tractatus de Peccato originali fratris egidij* (Columnae) *de Roma ord. fratrum heremitarum ſancti auguſtini. Capitulum primum in quo eſt prologus.* Initium: *Ego ſum puluis et cinis. loquar ad dominum meum* &c. Capita VII. prout in Edit. *Rom. Opp.* f. 1555. *Fol.* 48. p. 2. et nobis alibi.

XXVII.